

II n
176

MINISTRISIMUS
INFELIX
ORATIONE
SOLENNI,

QVÆ
IN ALMA PHILURÆA

D. XXVI. MAI.
A.E.C. M.DC. LXXVI.
HABITA EST,

REPRÆSENTATUS

AB

AUGUSTO HEINRICO
ab HAGEN, aliàs *DESS* /
EQVITE SAXONE.

LIPSIÆ,
Typis Viduæ JOHANN. WITTIGAU.

44



MINISTRARIUM

IN

ORATORIO

ROMANO

IN ALMA PHILADELPHIA

IN

ALMA PHILADELPHIA

ALMA PHILADELPHIA

ALMA PHILADELPHIA

ALMA PHILADELPHIA

ALMA PHILADELPHIA

ALMA PHILADELPHIA



e
i
e
f
n
t
f
l
i





Rector Academiae Ma-

gnifice, Vosq̄ cæteri Auditores
Ordinum ac dignitatum omni-
um honoratissimi,

Percurrenti mihi spatiosissimos Hi-
storiarum campos, & antiquos casus
cum recentioribus paulò accuratiùs
conferenti, nihil verius pronunciarì
atq̄ve affirmari videtur posse, quàm
eandem semper fabulam, mutatis saltem personis,
in vastissimo Universi hujus theatro deludi. Cùm
enim vitia futura sint, donec homines, dicente
Tacito Historicorum oculatissimo, nunquam de-
sunt, nec deerunt in hoc orbe terrarum, qui vete-
res larvas adaptent sibi, nec scelera & flagitia tan-
tùm eadem, sed & eosdem eventus, tristissimos
nempe & factis suis dignissimos, repræsentent.
Inter Tragicos autem magnorum Virorum Casus
non postremus est ille Sejani, qui in Aula Tiberii
Imperatoris Romani tanquam Minister statûs pri-
marius, seu, ut hodiè, sed non satis latinè loqui-
mur,

mur, Ministrissimus ante alios proceres eminebat. Hic enim, cum non solum amplissimas consecutus esset dignitates atque administrationes, sed & diutiùs absente Imperatore, & apud Insulam Capream otiante seipsum pro Imperatore, Tiberium pro Insulæ Rectore habuisset, quin eò usque exultationis proventus esset, ut ipsi tanquam Deorum cuidam sacra fierent, jamque Consulatus in quinquennium prorogandus deferretur, in literis denique publicis, non Tiberii modò, sed Sejani etiam nomen à senatu scriberetur, nec minùs quam Imperator ipse, curru aureo veheretur, hic, inquam, talis tantusque Vir, convocato Senatu, ut recitarentur literæ Imperatoris, quibus collata ei potestas tribunitia credebatur, iisdem literis (ò admirandum inconstantia humanæ exemplum!) plecti iussus est, in vincula quippe coniectus, & capite multatus; in Gemonias postea unco tractus, per triduum ludibrio à plebe habitus, inque Tiberim tandem probrosissimo & funestissimo exitu est immisus. Quodsi verò oculos, Auditores, ad tempora propiora, aulasque Regum ac Principum Europæorum convertamus, Ministrissimi certè occurrent non uni, qui ex summo honorum ac dignitatum fastigio non minùs, quam Sejanus jam dictus, in extremam tandem calamitatem atque ignominiam sunt præcipitati. Et quotusquisque nostrum in historia Gallica tam hospes tamque peregrinus est, quin Marchionis Ancræi, qui Marschalli titulo primum in regno Galliæ ministerium capefferat, horrendum atque longè contumeliosissimum aut legerit aut fando perceperit occasum. Nam & hic anno seculi currentis septimo decimo
jussu

jussu Regis obtruncatus, & à plebe immane quantum furente frustillatim fuit discerptus; erutum, inquam, Gramondo teste, cadaver ejus, injectoque in collum fune pertractum in patibulariam furcam, quam mandato ipsius Ancræi Magistratus posuerat; ex furca tandem post mille illusiones in terram dejectum, morlu laniatum, lancinatum, imò per totam Parisiorum urbem dispersum. Ut non abs re tale illi epitaphium scripserit Maphæus Barberinus, Cardinalis ingeniosissimus, & postea Pontifex Maximus Urbanus Octavus: Eheu rerum vices! Gallicum Sejanum, Regno propinquum, Regi proximum poenitens aut fatigata fortuna destituit. Principum invidiæ victima macetatur, ut sacer homo saginatus sanguine publico Galliam expiet: ferrum expertus, malè qui cupivit aurum. Regnum qui vivus in partes secuit, mortuus secatur in frustra. Æquius an immaniùs? Diris, sibilis, inclamationibus plebs furens justa fecit: Tracto, discerpto, nullibi aut ubiqve sepulto: Eheu quam dissimili exitu clauditur aulicorum fabula. O rerum vices! ô fata! Ex hisce itaqve aliisque Ministrissimorum Casibus Tragicis nata mihi occasio est, in causas tantæ infelicitatis paulò altiùs inqvirendi, cumqve ante discessum ex hac Philuræa meum speciminis non nihil edere jussus fuerim, me scenæ, quod ajunt,

B &

& tempori servituum existimavi, si non Casus tantum Ministrissimorum illætabiles, sed & causas tanti præcipitii, solenni Oratione exponerem. Non fateri autem non possum, honoratissimi Auditores, me non parum tantummodò in Eloqventiæ palæstra exercitatum esse, sed &, quicquid de tam nobili atq; illustri argumento abs me jam proferetur, in procinctu & animo jam peregrinante in Chartam coniecisse. Prius igitur, quam in rem ipsam provehar, Vestrarum aurium benevolentiam mihi efflagito, cumq; nec styli elegantiam nec argumentorum gravitate facturus vobis sim satis, (Canis enim festinans, ut proverbium habet, cæcos parit catulos) at brevitatem saltem placere vobis ut patiamini, pro eo ac par est, enixè admodum submissèq; rogo atq; obtestor.

Cùm magna negotia magnis adiutoribus egeant, tum Regum potissimum ac Principum labores ministris habent opus. Magna enim Imperii moles est, & ponderosum veluti cælum quoddam, quod non Atlantem tantum, sed Herculem quoque sibi succollantem exposcit. Quemadmodum autem Patresfamilias olim, qui quidem in re magna familiari constituti erant, unum è servis, quem idoneum præ cæteris censebant, toti domui præficiiebant: ita & Regibus interdum placet (est enim in Monarchia Rex, quod in domo paterfamilias) universam regni administrandi molem in unum aliquem è ministris reclinare. Equidem Henricus IV. magnus ille Galliæ Rex non unum, sed tres ministrissimos Sullium, Villaræum & Sillerium sibi delegit. Neque non alii fuerunt Reges, qui nunquam in unum Imperii contulerunt pondus,

211
dus, sed plurium potiùs consilio & auctoritati res
publicas concesserunt. Sed benè & prudenter
Gramondus politissimus Gallorum Historicus, de
multiplici Henrici IV. ministerio agens. Non
ubiqve, inquit, potior hic regnandi mo-
dus. Quandoqve è re regni est in con-
scientiam acciri è pluribus unum, nempe si
fide prævalet & sapientiâ; vulgandis alio-
qvin regni arcanis, qui sæpè in ruinam
dantur consilia uno fulta secreto. Iudice ab
uno faciliùs discernitur veritas à calumnia:
odium & invidia apud multos valent.
Sed nolo ego in-præsentiarum disquirere, plurium-
né an unius Ministerium sit præferendum. Mini-
strissimi enim, qualis Tiberio Sejanus, & Ludovi-
co XIII. Galliaë Regi Ancræus exstitit, infelicitatem,
& quid ansam infelicitati huic dederit aut da-
re etiamnum possit, exponere sermone brevi con-
stitui. Minimè verò existimandum, Auditores,
me quemvis administratorem publicum, qui Re-
gis præsentis loco gubernacula solus dirigit, intel-
ligere. Fuerunt enim nullo non tempore, qui, li-
cet omnia suâ auctoritate decreverint statuerint-
qve in regno, solo Regibus relicto titulo, inte-
meratam tamen & Regum gratiam & dignitatum
eminentiam ad extrema usqve conservârunt. Ex
plurimorum numero illustria hujus rei exempla
sunt duo Granvellani, Nicolaus Perenottus & An-
tonius, Viri à præcipuo dominationis Hispanicæ
ministerio longè clarissimi. Nicolaus enim, fabri
ferra-

ferrarii quamvis filius, ob insignem tamen raritatem
que prudentiam arcanorum omnium conscius ac
transactor factus, per lubrica aulae negotia firmo
semper vestigio stetit, constantemque; Caroli V. gra-
tiam totos viginti annos ad extremum usque diem
obtinet. Sic Antonius quoque; Granvellanus secre-
torum omnium & gratiae haeres non Caroli V. tan-
tum, sed & Philippi II. animum occupavit, & per qua-
draginta admodum annos in arce principalis gratiae
confedit. Hos proximè commemorandi veniunt duo
obstupescendi Galliae Ministrissimi, Richelius &
Mazarinus, qui, quamvis ab omni sequioris fortunae
impulsu destituti planè haud fuerint (Richelius e-
nim post caedem Ancraei Ostracismum pati, Mazari-
nus aperto exilio relinquere Galliam cogebatur) in-
vidiam tamen omnem superarunt feliciter, pacatoque;
regno Galliae & exornato triste sui desiderium, &
famam nunquam intermorituram reliquerunt. Ni-
mirum sui quemque ut plurimum mores & perdunt
& servant. Itaque; cum Ministrissimi jam laudati non
sapientiam tantum inusitatam, sed fidem quoque; incor-
ruptam suis Regibus approbaverint, id praemii ex rebus
prudenter & candidè gestis retulerunt, ut & con-
stanti Dominorum gratiam, & rumore apud omnes non
sinisterrimo floruerint. Ac fides quidem praecipua Mi-
nistrissimi virtus est, quam nec alibi temerè, quam in
probis & bonae mentis candidatis invenias. Unde &
Plinius in Trajani Imperatoris Panegyrico non abs-
re dixit: Optimum quemque; fidelissimum puta. Cujus
eximium quoddam exemplum in Michaëlis Hospitalii
Parente Naudæus nobis exhibet, ut qui Carolum
Burbonium, cuius Medicum alias agebat (fuerunt au-
tem praeter hunc & alii Medici Ministrissimi, Oriba-
sius

fius putà Juliani Apostatæ, Apollonius Antiochi,
Cottirus Ludovici XI. & Mironius Henrici III. Re-
gum Galliæ) in rebus adversissimis non deserebat,
quin Consilia illi contrà Cæsarē, Regem Galliæ, &
Pontificem Romanum constantissimo animo sug-
gerebat. Qvam fidelitatem & filius ejus Magnus il-
le Galliæ Cancellarius tanti aestimavit, ut Testamen-
to illam suo tanquam rem valdè memorabilē inser-
tam esse voluerit. Equidem fieri sæpenumerò vide-
as, ut quò majori Regū favore ob fidem quis valet,
hòc pluribus malevolentium telis sit expositus. Nec
rarò compertum est, etiam fidelissimos atq; inno-
centissimos Ministros è fastigio dignitatum per in-
justas delatorum accusationes fuisse deturbatos;
quemadmodū & ipse Hospitalius jam laudatus in
asperrimis Civilium bellorum tempestatibus, scele-
ratorū quorundā factione à Reipublicæ Gallicæ gu-
bernaculis fuit semotus. Verum enim verò ut fides
incorrupta aliæq; virtutes non fucatae in perversissi-
mo hoc seculo premantur subinde & tantum non
opprimantur, erigunt se tamen in palmæ morem,
postq; injurias & calamitates exantlatas tantò glo-
riofius triumphant. Antonius certè Granvellanus,
cùm semel Regis sui gratiā excidisset, à casu illo ve-
lut à quiete ad favorē multò longiùs, quam antè, pro-
cessit, Principem quippe nactus, penes quem liber-
tatem & gratiam admirandā prorsus felicitate ad fi-
nem usq; vitæ tenere licuit. Hospitalius equidē ad
clavum Reipublicæ Gallicæ redoccupandum non
fuit revocatus, è navi tamen semel excussum hunc
Palinurū suo maximo malo sensit Gallia, tandemq;
morte sublatum & virtus sua & successor prorsus
dispar sumè desiderabilem effecerunt. Sed ad illos
Ministrissimos deveniendū, qui non ex invidia ca-
lu-

C

lu-

lumniisq; aliorum, sed culpâ suâpte velut Icarî ex honorum sublimitate in mare ignominiaë deciderunt, cujusmodi fatum præter Sejanum & Ancreum jam dictos Clitus Alexandri M. Cleander Aurelii Comodi, Ablavius Constantini, Stilicon Honorii, Eutropius Arcadii, Lermius & Chalderonius Hispaniaë, Cornificius Ulfeldius Regis Daniaë Ministrissimus præter alios plurimos subierunt. Horû ingenia, & mores exprimere quoad antenus dum fatago, comodum Gryphes in mentem mihi veniunt, quibus non aquilinas saltem alas, sed & unguës validissimos fabulosa tribuit antiquitas. Ambitionem enim alæ aquilinæ, avaritiam unguës non in scitè representant; quibus vitiis Ministrissimos infelices, si facta & mores illorum inspicias, laborasse ut plurimum deprehendas. Neq; enim aliud quid infelicè reddidit Sejanum, quàm insatiabilis honorum ac divitiarum cupiditas. Unde & egregiè de illo Juvenalis, Satyricorum Optimus :

*Qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes, numerosa putabat
Excelsa turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinaë.*

Et ambitionem quod attinet, ea animum semel occupatum stimulare adeò atq; accendere solet, ut majora indies honorum magmenta discupiat, nec satiari, nisi voti sui damnatus, se patiatur; cumq; ad summa non legitimâ semper viâ procedere liceat, non naturalis tantum, sed ipsius etiam divinæ legis ordinem pervicaciter conculcat. Est quippe calx quædam ambitio, quæ eò magis accenditur, quò magis affunditur aqua, est torrens quidam, isq; tantò impetuosior, quò plura obstacula objecta sibi atq; opposita habet; est venenum, inquam, pestiferum, quod Draco infernalis in Angelicæ humanæq; naturæ perniciem evomu-

evomuit, & quo nullo non ævo Viros maximos in partes suas pro lubitu pertraxit, probè admodùm sciens, ambitionem quàm primùm in homine pedē figat, nec amicitiae nec pietati locū ullum relinquere. Laborant autē hâc peste cùm homines pleriq; tùm illi maximè omniū, qui ex humillima conditione ad honores non proletarios semel emerferunt. Nec eã in Aulis tantū aut palatiis principum, sed in ipso Ecclesiae gremio mirum quântū regnare animadvertas. Nam cùm quis factus fuerit in quacunq; Ecclesia Decanus, Præpositus, Archidiaconus, aut aliud quid hujusmodi (verba sunt Patris Melliflui Bernardi) non contentus uno in una, plures sibi, imò, quoquot valet, conquirere honores fatagit, tam in una quàm in pluribus. Quibus tamen omnibus, si locus evenerit, libenter unius præferet Episcopi dignitatem; sed numquid sic satiabitur? factus Episcopus, Archiepiscopus esse desiderat, quò fortè adeptò rursūnescio quid altius somniat, laboriosis itineribus & sumptuosis familiaritatibus Romanū statuit frequentare palatium, quæstuosas sibi quasdam exinde comparans amicitias. Hæc Bernardus. Sed in aulis cum primis hæc fabula in hunc usq; diem luditur. Si quis enim ex pulvere ad lucem aliquam protractum se esse videt, ambitionis typho inflatus, non contentus gradu veteri ad altiorem ascendere dignitatem modis omnibus contendit, & si conatibus suis obstare quidpiã advertit, id susque deque habito omni jure, sive vi apertâ sive occultis machinis intervertit. Quæ omnia pensi habens Gabriel Naudæus arcanorum Politicorum callentissimus, ministrissimū quemq; ambitionem, & avaritiam viperino cautiùs sanguine jubet fugere. Nam simulatq; ab his dementari se patietur (ita enim pergit

git Vir Celeberrimus) fieri non potest, quin neglecto Principis sui comodo quærat proprium, nec tam Hero suo, quàm sibi ipsi seruiat, siq; eò usque exorbitarit, proditioni & perfidiæ amplissimam patefaciet fenestram, nec quicquam tam secretum erit, quin alteri manifestet, nullũ consilium tam salutare, cui exequendo remoras non injiciat, nullus hostis se movebit, quin abblandiatur illi, verbo:

Publica privatis postponet commoda rebus;

Et si vel maximè Domini sui autoritatem potentiamq; videatur intendere, seipsum tamen hâc viâ evehet, nec dubitabit eum hostibus ipsis venderi, saltem ut explere honorũ & pecuniarum sitim possit. Hæc sagacissimus ille Gallus, quæ in Ministrissimos quosdam examussim quadrant. Solent a. Ministrissimi non effreni tantum honorum ulteriorũ cupidine, sed inexhaustâ etiam auri aviditate mirum quantum vexari. Quod vitium uti ambitionem immanitate & insatiabili ingluviem non æquat, sed superat, ita omnium flagitiorum scelerumq; satellitio quodam stipatum est. Est enim avaritia malorum omnium radix, dicente Apostolo, unde vitiorum omnium surculi propullulant; est barathrum perditionis, quod confluentibus undiq; thesauris non satiatur; est, inquã, Cacus, monstrosus Vulcani filius, naribus & ore fumũ furoris sui evomens, qui ad mala vicinis inferenda natus erat, furtisq; omnia atq; incendiis crudelissimè devastabat. Unde & Christianus ille Olor Prudentius de Philargyria sic cecinit:

*Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
Occupat interitu; neq; enim est violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus ævum
Mundani involvat populi, damnetq; gehenna.*

Et Palingenius, Candidissimus Italorum Vates:

Namq; ubi avaritia est, habitant fermè omnia ibidem

Flagi.

*Flagitia, impietas, perjuria, furta, rapina,
Fraudes atq; doli, insidiaeque & proditiones.*

Et hæc quidem vitia omnia, si pensius rem expute-
mus, non aliundè promanant, quàm ex Philautia
seu turpissimo amore sui. Hujus enim imperio qui
obsequitur, nihil in actionibus suis quærit præter
comoda, honores, divitias, laudesq; proprias, utq;
ipse suâ ne frustretur, nec mutuæ dilectionis, nec
charitatis proximo debitæ rationem ullam habet.
Est hic ille puteus putidissimus, hic est ille fons A-
vernalis, unde omniû peccatorum & vitiorum col-
luvies prorumpit, quæ torrentis rapidissimi instar
universum inundat orbem, & ingenia etiam opti-
ma atq; doctissima submergit atq; suffocat. Impe-
dit quippè pestilens ille sui amor intellectû (loquor
cum novissimo Scriptore, qui felicem literatum ex
infelicium periculis & casibus exhibuit) ne vitæ
melioris documenta homo alioquin doctissimus
percipiat, vocantisq; Domini nutibus atq; monitis
respondeat, quin potius in transgressionibus ac præ-
varicationibus suis vivere pergat, se suaq; continen-
ter anqvirens, omnia perrepens, percurrens, & per-
lustrans, ut reperiat, quæ sibi grata, sibi comoda, sibi
jucunda appareant, eaq; ut consequatur, totis la-
boret viribus. Breviter

— — *Stultus amor turpisq; inscitia nostra
Mille malis cæcos involvit, & implicat ultro
Ut nec vera sequi liceat nec vera tueri,*

uti prudentissimus Hospitalius ille ad Vitum Fa-
brum loquitur. Quemadmodû autem sui amantissi-
mus Lucifer, qui Dei ipsius thronum invadere non
verebatur, ad infima tartara detrusus est, locumq;
omniû extremum jam occupat, cum obtinere su-
premû potuisset: ita qui seipsum nimium amant, ani-
moq; turgido præesse cunctis desiderant, natali-
umq;

D

umq;

umq; suorum obliti ad summa quæq; pertingere al-
laborant, tristissimam tandem incurrunt ruinam
omniumq; adeò odio atq; contemptui exponuntur.
Tolluntur scilicet in altum, ut lapsu graviore ruant,
nubibusq; non absimiles evadunt, quæ, quò ampli-
ùs suprâ nos cœlum versùs elevantur, hòc citiùs
disfipantur à radiis solaribus & evanescent. Deus
enim Opt. Maximus, ut peccatoribus omnibus, ita
superbis potissimùm resistit, eosq; non minùs, quàm
Luciferum ipsum, ex honorum ac dignitatũ apice
deturbat. Atq; hinc Ministrisimi, qui quidẽ, pieta-
te sequestratâ, ambitioni & avaritiæ unicè litârunt,
funestissimã tandem fabulæ suæ Catastrophen
sunt experti. Nos cum ex omnibus propemodùm
aulis afferre Sejanum aliquem possimus, ex Anglia
Thomam Volsæum vobis exhibemus. Hic obscu-
ro loco natus & doctrinâ mediocri tinctus cum Re-
gibus æquatum se existimâisset, aureâ fellâ pulvino-
que aureo uti coepisset, Carolo V. etiam ob denega-
tum Archiepiscopatum Toletanum, bellum Hein-
rici Octavi nomine indixisset, imò Edoardum Bu-
ckinghamiæ Ducẽ æmulũ suum falsis criminibus cir-
cumventum capite plecti curâisset, primùm omni di-
gnitate & fortunis spoliatus, mox jussu Regis ca-
ptus, diem supremũ Leucestræ inglorius planè ob-
iit. Ex Anglia in Daniã transfretamus, inq; illa Corni-
ficiũ Ulefeldium Ministrissimũ infelicem, sed suæ in-
felicitatis fabrũ velut in scenam producimus. In hoc
summa erant omnia, quæ hominem aulicum comen-
dant, illustris familiæ gloria, statura corporis proce-
ra & formosissima, vastus animus, magna apud o-
mnes autoritas, & laus civilis prudentiæ longè maxi-
ma. Quare & Christianus IV. multis jam honoribus
auctũ in altissimum dignitatis fastigiũ evexit, & in
regno

regno suo aulae Magistrum constituit, datâ ipsi in
matrimonium Eleonorâ, filiâ majore natu, quam post
mortem Reginae ex Christina nobili foemina pro-
creaverat. Et sanè omnibus numeris absolutus di-
ci potuisset Ulfeldius, si innata ipsi ambitio &, quæ
hanc ut plurimum comitatur, habendi libido abfuis-
set. Verum enimverò cum Rex Hafniæ vitâ vix con-
cessisset, ille statim insurgere, omnium rerum admi-
nistrationem sibi arrogare, Regis Filio Friderico, Ar-
chiepiscopo id temporis Bremensi inq; Regem eli-
gendo, multimodis obstare, à jam electo ad Svecos
desciscere, cumq; Regi reconciliatus esset, res no-
vas moliri, plurimaq; alia agitare, quæ ad subruen-
dum Fridericum III. Daniæ Regem spectabant. Sed
ecce Nemesis divinâ, scelestos antecedentes haut
claudopede deferentem. Patefactis enim novis in
Regem & Regnum machinationibus Ulfeldius læ-
sæ Majestatis & proditionis patriæ condemnatur,
supplicium de ejus effigie sumitur, ipse extorris in
Helvetia delitescens in navicula, quâ Basileâ in
Rheno vehebatur, prope Neoburgum moritur. Sed
quò non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?
& quid non designare jubet ardentissima honorum
ac dignitatum sitis? O vitia planè Diabolica, & ex i-
pso Orco ad pessundandum mortaliû Genus produ-
cta. Hi enim sunt ignes, Auditores, quibus Ministrif-
simi pleriq; ceu Cometæ quidam conflagrarunt; hæ
duæ alæ cereæ, quibus liquefactis hi Icarî in pelagus
infamiae decidunt; hæ duæ Sirenes, quæ sectatores
suos in extremam adducunt perniciem. Sed quotus
quisq; vestrum est, qui, quid Ministrifsimis infelicitate
afferat, vel me tacente non intelligat? Ad finem
itaq; Orationis meæ propero, ne peccare in comoda
publica, aut patientiam vestram abuti velle videar.
Qvan-

3A Th 176
Quandoquidē autem Ministrissimi pleriq; à præci-
pitio non multum absunt, nihil prius illis antiqviusq;
esse debet, quàm ut Deum omnipræsentem ubiq; re-
vereantur, eumq; non ficto, sed vero pietatis cultu
nunquã non prosequantur; est enim, est profectò
Deus, etiã ipsorum gentilium calculo, qui, quæ nos
gerimus, auditq; & videt, nec quicquam hominibus
Deum magis propitiat, quàm rectus de Deo sensus
cultusq; eius incorruptus. Pietas quippe ad omnia
utilis est secundum Apostolum, atque ut aureus
Taubmanni celeberrimi Jambus habet,

Numen colenti cuncta Numen dirigit.

Post pietatem Deo debitam nihil magis curæ cordiqve sit Mini-
strissimo, quàm ut exemplo Josephi, qui Pharaonis Ministrissi-
mus erat, fidelem se Regi & Principi exhibeat, nec honorum
atque auri cupiditate obfascinari se patiat, quin suum faciat
Stoicorum illud: *Non moveri*, & quod in Regum multorum sci-
tis & scutis legitur: *Nec spe, nec metu*. Ita enim Deum ac Princi-
pem nunquam non habebit propitium, & si vel maximè ab in-
vidis & malevolentibus prematur, non opprimetur tamen, sed
pulcherrimum de hostibus suis triumphum aget, fideiqve incor-
ruptæ præmia longè amplissima atque illustrissima reportabit.
Cæterum, cum statio in dignitatibus res lubrica sit, dicente Ve-
rulamio, sapientissimo Anglorum Socrate, & regressus aut præ-
cipitium sit aut saltem Eclipsis quædam, quæ & ipsa triste quid
& Melancholicum, non Museis tantum omnibus, sed & cordi-
bus omnibus inscribendum existimo Caroli Baschalii senten-
tiam, quâ & ipsâ ceu Gemmâ quâdam orationem meam ob-

*signo: O quàm benè agitur cum illo, qui modicis contentus,
modestè & inter inferiora versari mavult, quàm ut
aquila arduo volatu nubes verberare, & in-
ter nubes vanescere.*

D I X I.



MINISTRARIUM
 OR
 IN
 ARGENTIN
 de
 1792



ear
 in v
 eni
 Ta
 fun
 res
 tui
 ne
 In
 no
 Im
 m

